



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

IV. Practicæ Resolutiones circa præfata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

23. *Quid ludens cum seruo?* Liber est à restitutione, si id ex scientia domini fiat. *Pactum cum seruo adest, ut quotidie certam pecuniam det domino, reliquam sibi retinendo.* De iis quæ licitè retinet, liberè potest ludere. In aliis ferè restituere tenebitur qui cum seruo ludit.

24. *Potest ne Religiosus aliquid licitè ludo exponere?* De consensu Prælati ludere aliquid potest; non si excedat, vel ludus etiam laicis sit illicitus. *De bonis monasterijs?* Non potest ludere nisi quantum intra terminos administrationis posset Prælati in alios similes contractus exponere; si excedat, irritus erit contractus. *De aliis bonis?* Paulò liberior esse potest Prælati in concedenda licentia. *Degit Religiosus extra claustrum.* Ludere potest modicum quiddam, v. gr. quatuor, aut quinque in centum, quasi familiae filius.

25. *Ludentis cum imperito causam evolvit.* Porro cum imperito ludum texens, & moraliter de victoria certus non potest lucrari. *Peritia maior melioribus ludi conditionibus compensatur.* Lucrari poterit. *Dicit imperitior, se velle lucrum donare.* Donatio censetur. *Probabiliter tantum te peritiorem iudicas.* Ludere, & lucrari poterit, etiam si cum imperitiori ludum inire contigerit.

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de Ludo ex Societatis IESV Doctoribus.

26. **S**CIO ludum merè fortuitum prohibitum Clericis c. Clericus 2. laicis verò *l. alearum usus, de Relig. & l. solet, ff. de alear.* rogo autem, an Clerici minoribus prohibeantur? De Clericis in sacris constitutis, vel beneficiariis. *Sanchez opusc. Sanch. tom. 1. lib. 1. c. 7. dub. 26. n. 8.* intelligendum censet.

27. *An Religiosi non Clerici comprehendantur?* Negat *Salus de Ludo dub. 24. n. 3.* Afferit autem *Sanchez ibid.* quia ludi *Sanchez alex.* & taxillorum sunt statui Religioso valde indecentes. Addit Doctor Clericum his ludis semel, aut iterum sine scandalo operam dantem non peccare mortaliter: secus verò si sæpe etiam si recreationis causa luderet.

28. *An laici frequentantes, ex vi legis lethaliter delinquant?* Minimè, quia ludi huiusmodi ex iure natura non sunt prohibiti, *Molina auctore tom. 2. tract. 2. d. 5 10.* Iura verò *Molin.*

positiua citata per contrariam consuetudinem sunt abrogata,

- Salas. *Salas dub. 3. n. 5. afferente.*
 29. *Petrus notabili tempore ludis prohibitis dantes operas inspicit Clericos: peccat ne mortaliter? Non, nisi ludi sit causa aut corrigere teneretur, aut adesset scandalum; quia leuis materia.* Sanchez *dub. 28. n. 9.*
- Sanch. 30. *An amissa ex ludo sint debita in conscientia? Afferit Valentia tom. 3. d. 5. q. 6. n. 5. dub. 8.* quia sic obligat promissio mutua de iure naturæ: neque iure positiuo irritatur; quamvis *l. alearum, C. de Relig.* detur actio ad repetendum. At *Lessius lib. 2. cap. 26. dub. 4.* negauit probabilius; quia cui datur actio ad repetendum, à fortiori ad non soluendum exceptio conceditur, iuxta iuris regulas.
- Leff. 31. *Quid si alicubi perdenti non concedatur repetitio, aut ludentes beneficio legis repetitionem concedentis renuncianturint? Perdens in conscientia soluere tenebitur.* Saa *v. lusus num. 9.*
- Saa. 32. *Accipit quis pecuniam ex ludo: tenetur ne restituere in conscientia, licet qui soluit habeat ius ad repetendum? Non; quia iura aut non intendunt pecuniæ semel solutæ repetitionem; aut si intendunt, non fuere in hoc sensu receptæ.* Salas *de contr. dub. 20. n. 6.*
- Salas. 33. *Tenetur ne quis restituere, quod per fraudem lucratus est? Etiam si de fraude dubitet, tenetur; quia nec in dubio potest acquirere.* Reginaldus *apud Bonac. de Restit. d. 2. q. 3. p. 2. num. 7.*
- Regin. 34. *Scio, minorem beneficium restitutionis in integrum à lege habere: rogo, an qui ab eo lucratus esset, teneatur in conscientia restituere, donec repetatur? Afferit Tannerus 2. 2. d. 4. q. 6. dub. 11. n. 3. 10. non teneri.*
- Tanner. 35. *Quantum ne filius familias potest in ludo alienare? Vigesimaliam partem alimentorum, quotannis sibi suppeditantur.*
- Valent. *Valentia tom. 3. d. 5. q. 6. p. 6.*
- Valent. 36. *Potest ne filius familias multum lucrari, qui non potest multum perdere? Potest, quia æqualitas, quæ in hoc contractu exigitur, non consistit in eo, quod æqualem pecuniæ summam exponant; sed quod vterque sit dominus illius pecuniæ, quam exponit. Scio Sanctium in sum. tom. 2. lib. 7. cap. 19. n. 87. contrarium asseruisse, sed immeritò quidem, quando qui summam illam maiorem amisit, sciebat collusorem suum filium familias non posse æqualem amittere; quia iuri suo celsisse præsumitur.*
- Sanch. 37. *Quis ludo capitale mains, vulgo Resto, sciens colludentis capitale*

capitale minus esse: potest ne acceptare hic, & se plus lucro, quam iactura exponere? Potest, ex Salas de ludo d. 13. num. 3. Salas. quia scienti & volenti non fit iniuria, & multi, ait, vendunt libertatem ad remigandum in triremibus, quæ longè superior est pecunia.

38. Ludit Ioannes notabiliter dexterius Antonio, qui vult colludere: potest ne Ioannes acceptare, & lucrari? Si protestetur Ioannes, nullam Antonio temerariè ludenti fit iniuria. Azor.

39. Excedit quidem Ioannes peritiam ludendi, sed Antonius colludens huiusmodi peritiam ignorat: tenerur ne Ioannes ad restitutionem? Scio Tolet. negasse. Sed probabilius (tanti viri venia) crediderim teneri ad partem quidem restituendum iuxta periculi proportionem. At si ad eò peritus, vt nullum subiret periculi periculum, ad totum obligarem. Tolet.

40. Cogit Ioannes Antonium stare ludo, lucratur: debet in conscientia restituere? Comit. lib. 3. q. 9. n. 2. affirmat; quia Antonius inuoluntariè ludit, & quia contractus graui metu factus irritus est iure naturæ, & dominium non transfert. At Less. lib. 2. c. 26. dub. 2. n. 9. negauit, quando Ioannes precibus importunis cogit, obiciens se non soluturum nisi perseveret, &c. Vnde Antonius ex verecundia, aut timore pecuniæ non soluendæ ludum prosequitur, non coactè amittit, potest enim lucrari. Alias rationes congerit Molina tractat. 2. d. 516. n. 2. Molin. Sanchez de Matr. lib. 4. d. 10. n. 10. probabilem hanc sententiam iudicauit. Sanch.

41. Quid si Ioannes Antonium vero metu, vtraque coactione ludo cogeret stare? Lucrum teneretur restituere. Si autem perderet, nulla ab Antonio coacto restitutio facienda esset. Sic Card. Lugo. Scio Gasparem Hurtado asseruisse nec Ioan- Lugo. nem cogentem, ad restitutionem obligari.

42. Vouit Ioannes, aut iurauit, se non lusurum: datur ne materia paruitas? Datur authore Sanctio sum. tom. 1. lib. 3. c. 18. Suar. n. 2. & 3. quæ quidem materiæ paruitas sumi debet in ordine ad id, quod vouens, aut iurans primario vitare intendit. Intendit se priuare delectatione ludi? Parua materia erit parua recreatio. Intendit non consumere inaniter tempus. Parua materia erit parua mora. Intendit pecunia iacturam vitare. Parua materia parua pecuniæ iactura erit. Intendit vitare cum domesticis, cum colludentibus rixas, blasphemias, &c. Parua materia desumenda est ex occasione data huiusmodi peccatorum.

43. Votum de non ludendo indistinctim emisi: nullum ne

Sanch.

ludum possum inire? Si non constat te voluisse ab omni ludo priuare, poteris ludo honesto, & in parua quantitate operam dare, ob animi recreationem. Possum ne per alios ludere, & sponsones facere, vulgo. A trauesar nel luego? Affert Sanchez, Addiderim, posse ludere nomine alterius, quando non constat ex coniecturis, an votum, seu iuramentum non ludendi obliget iurantem ad non ludendum alterius nomine.

Lugo.

44. Ludo studeo intentione lucrandi solummodo: pecco moraliter? Non nisi affectus lucrandi adeo esset immoderatus, vt grauem iniuriam proximo efficere paratus esses. An venialiter delinquam? Docet Card. Lugo dare operam ludo principaliter propter lucrum non esse veniale, quando reliqua concurrunt circumstantia.

Hurt.

45. Ludo animo non soluendi, aut repetendi solummodo in ludo prohibito valido: si lucrum egero, tenebor ne restituere? Non nisi dicas, soluturum, & non repetiturum. Gaspar. Hurtado de contract. d.8. diff. 5.

Sanch.

46. Ob fraudem in ludo commissam teneor restituere Petro centum dragmas, colludens cum eodem altera die perdo ipsi centum, teneor ne ad restitutionem lucri proximi? Teneor; quia quaelibet fors est diuersus contractus a praecedentibus independens. Sanchez sic; qui quidem contrariae sententiae auctores allegat, & eorum placitum probabile ad iudicat.

Lugo.

47. Teneor ne etiam restituere, quod adstantibus dedi planctu victoria, vulgo, de variato? Ita plane; secus si bona fide lucratus fuerit; quia bona fide expendisti. An nummos desumptos ad chartas, candelas, domum, &c. teneor restituere iniuste dum lucratus fui? Non, quia omnibus ex communi pecunia sumptus ille assolet deseruire, accidentaliter autem soli deseruit iniusto lucratori. Lugo.

Lugo.

*48. Spondet Paulus cum Antonio se illum saltando victurum, postea autem Petrus currere noluit: tenetur ne soluere, quod est in sponsonem depositum? Porro Card. Lugo tom. 2. de iust. d. 31. sect. 6. distinguit inter ludum & sponsonem, vulgo *Apuesta*. In ludo quidem non debet soluere, secus in sponsonem facta, & acceptata; quia sponso solo videtur consensu perfici.*

Hurtad.

49. Sum certus de euentu, possum ne cum Antonio eam certitudinem ignorante spondere? Potes ex Hurtado sententia de contr. d.8. diff. 7. Praecipue si post talem certitudinem de euentu, aut de veritate, postea incipias addubitare.

50. Postquam

50. Postquam ludo prohibito lucratus sum, per vim, seu fraudem impedio iudicem, ne me ad restitutionem cogat: teneor restituere? Rogo, num teneor si absque dolo vel fraude? Non teneris; quia iure tuo vteris, v. g. si abneges, te ludo quidquam lucratum, quando est occultum, neque est vllus testis, quo probetur. Nam cum criminaliter examinaris, vt priuatione lucri in pœnam criminis afficiaris, profiteri non teneris, etiam si rogeris sub iuramento, antequam sit semiplenè probatum vno teste omni exceptione maiori. *Molina* Molin. tom. 2. tract. 2. d. 514.

51. Pro me & pro Francisco ludo cum pactione, vt si perdissero, soluat dimidium perdisi Francisco, pro quo ludo; si verò Francisco lucretur, tantùm referat tertiam lucri partem: an sum iniustitia reus? *Cardin. Lugo* citat. te à reatu liberat; *Lugo*. quia in societate qui operam, & industriam apponit, & dimidium capitalis, plus debet de lucro participare, & minus de dando sentire.

52. Ludens aduerto, collusorem pauciora exponere puncta, quam habet, & ob id lucrum ago: teneor ne ad restitutionem? Non; quia non euenit ex natura rei, sed ex consuetudine non admonendi alterum de suo errore. *Hurtado* dubit. 3. diff. 7. *Hurt.* Certè alij probabilius asseruere; quia habens punctorum illum excessum, quem ignorant, victor verè est, & iniustè occultasti victoriam.

53. Quid de videntibus collusoris chartas? Qui videt absque fraude, se ex sola negligentia socij, non tenetur ad restitutionem lucri: secus si affectatè curat inspicere. Si chartæ ita sint nimio vsu signatæ, vt facile ab vtroque possint agnosci, non tenetur; nisi alter eorum prius chartas nouerit, quia alias ludo eius altero inseruierint. Ex *Lugo*, & *Lugo*. *Sancio*.

54. Ad quidnam tenetur, qui contra ludi leges fraudem committit? Cum *Fillucio* assero teneri ad restitutionem spei, quam alter habuisset lucrandi, vel non amittendi. *Filluc.*

55. Solitus quis fraudes adhibere, & dubitat an adhibuerit: tenetur ne restituere? Non, si bona fide iam possidebat; secus si dubium accidat in ipsa acquisitione. Ex eodem *Fillucio*.

56. Domum suam quis exponit omnibus ad ludendum alea: num delinquat mortaliter? Ex *Sanchez* & *Molina* sententia delinquit grauiter; quia talis ludus, vt plurimum ad malum vsum destinatur, & rarissimè absque mortali crimine exercetur: quare ex lege naturali oritur obligatio non ministrandi ludentibus *Filluc.* *Sanch.* *Molin.*

ludentibus

ludentibus peccandi materiam. Hinc infero exponentes domum eiusmodi ludo non solum peccare mortaliter, sed etiam, si lusores ad restitutionem teneantur & non restituant, ipsos teneri satisfacere.

57. *Multum perdens cogo alterum adhuc ludere, atque ita ex mea recuperō, & alia lucrō: num hæc teneat restituere?* Te Molin. non teneri *Molina* docet; quia remanet in altero sufficienti voluntarium.

58. *Per fraudem quis in ludo lucratus est, & dubitat an alter esset lucraturus nisi ipse fraudem fecisset; quid debet?* Respondeo ex *Lessio* non teneri rem suam restituere, quam forte perdidisset; quia est in illius possessione: sed illam solam, quam fraude lucratus est.

59. *Qui verò dubitat, an per fraudem sit lucratus?* Aptè asserit *Filliucius* teneri ad restitutionem; quia in dubio non potest acquirere, & melior sit alterius conditio possidentis.

60. *Num mortaliter delinquat spectator ludi qui cum peccato mortali peragitur?* Ex *Tabien.* & *Arnil.* responderet *Saa* non peccare, si peccato ipso non delectetur, nec illi coope-retur, & cesset scandalum. De scandalo memoriam gero ob *Monachos*, aut *Clericos* perspicuæ dignitatis, qui tenentur ab huiuscemodi spectaculis vnde scandalum obortus abstinere.

61. *Valde excodit quis ludendi peritia: tenetur ne lucrum restituere id nescienti?* Teneri sentio cum *Molina*, nisi uterque de altero ignorans se periculo commisisset.

62. *Rogo, num licitus ludus funambulorum sit?* Illicitum quidam asserunt ob mortis periculum. Licitum affirmo cum *Toleto*, si ad eò periti, ut periculum timendum plerumque non sit, licet accidentaliter aliquando præcipites agantur.

63. *An ludus agitationis taurorum liceat?* Licitum puto cum *Saa* & aliis, non obstante *Pij V.* prohibitione, si sic fiat, ut non sit probabile periculum grauis incommodi; quia cessat ratio legis. Scio ab illa prohibitione *Gregorium XIII.* censuras contra permittentes, & congregantes abstulisse.

64. *Quid de Histrionum ludis?* Mei doctissimi *Magistri Puente Hurtado de Mendoza* venia, non condemnandos puto, si modeste agantur, si uti *D. Thom.* ait iniuriæ Dei, & proximi vitentur, nec verbis, aut actionibus aliquid inducens probabiliter scandalum geratur. Licet alicui accidentaliter nocumento sint. Vnde colligo licitè posse *Histriones* moderatum

nam suæ artis lucrum quærere ad victum. Scio quidem non posse promoueri; quia infames; neque eis dandam Eucharistiam dum in arte sua cum peccato mortali gesta perseverant. Alibi vberius.




EXAMEN XIII.

De Iustitia & iure, circa materiam de contractu Societatum.

CAPVT PRIMVM.

De Societatibus in genere.

1.  *Vid Societas?* Conuentio duorum aut plurium facta ad conferendum aliquid in vsum, vel questum communem.

2. *Quarum ad Societatem requiruntur?* Quatuor requiri assero potissimum. Primum, vt singuli socij aliquid conferant. Secundum, vt quod confertur animo vt sit commune, statim in dominium singulorum cedat. Tertium, vt lucrum & damnum commune sit. Quartum, vt fiat diuisio lucri secundum proportionem sortis collatæ à singulis.

3. *Quid de conferente suum capitale?* Conferens capitale non amittit dominium eius in Societate. Capitale vnus commune efficitur cum alijs socijs. Dominium autem eorum, quæ ex capitali, post contractam Societatem acquiruntur, omnibus socijs est commune.

4. *Quotnam modi Societatem contrahendi?* Multi planè vsu comperiendi. Simpliciter quidem contracta Societas, intelligitur omnium bonorum, quæ titulo oneroso acquisierint, siue locando operas suas, siue emendo, aut vendendo, siue quocunque alio titulo oneroso.

5. *Quidnam de Sociorum obligatione?* Socij quidem tenentur de dolo, culpa lata, & leui, tam in conscientia, quam in foro exteriori. Leuis autem culpa ea est in Societate, qua Socius omittit eam diligentiam, quam suis in rebus adhibuisset. Non tenetur Socius vltra quàm potest facere: quod etiam habet locum in Societate simul habitantium. *Qui dolo malo causafuit, vt non posset soluere debitum?* Priuilegio non gaudet.